

equus illius percutitur quod ad cerebrum usque pertransit (pervenit). Vulneratus equus furibunde se iactans elevansque Corradinum deiecit, et licet a circumstantibus prompte erectus fuerit, in ipso tamen casu Turchi, heu, tam atrociter clamaverunt, ut christianos omnes subitaneus tremor concusserit. Facta autem vespera Corradinus cum suo apparatu regreditur. Rex vero et regina ceterique tertia die peracte solempnitatis ad Ptholomensem civitatem (ad. c. Ptholomaydam) revertuntur. Post reditum rex Iohannes magnum congregat apparatusum et casale refertum divitiis, nominatum vulgariter (v. n.) Iusse, invasit, ceteraque multa casalia predatus, hominum ac iumentorum copiosam adducens predam, salvus cum suis ad propria remeavit. Extunc vero, quasi obsessi essent in Ptholomayda (peregrini) nunquam amplius exierunt: non rex nec (non) baro, non cruce signatus; et factus est quasi popularis quilibet militaris, donec aliud venit passagium, de quo infra sequenti capitulo (c. s.). Solum interim (interdum) Gualterus de Monte Beliarcho, frater matris Iohannis regis, qui de regno Cypri ad eum confugerat, quia de magnis pecuniis a rege Hugone, facto adulte etatis, requirebatur reddere rationem, cum stolo per mare ad partes accedens Egypti, per flumen Damiate ascendit usque ad oppidum vulgariter dictum Bore, et cum multo lucro Ptholomaydam rediit. Eodem anno 1214 Albertus patriarcha Ierosol. in processione occisus (mortuus) est. Cui successit Rodolphus. Agari (? Agareni) vero attendentes, quia (quod) rex Iohannes et qui cum eo transierant, longe quam putaverant inferioris esse (? essent) potentie, satis cito post coronationem ipsius congregato exercitu inter cetera christianis molesta, castrum firmant (firmaverunt) in monte Tabor, IX leuchis a Ptholomayda, ut eandem civitatem amplius molestarent, unde et ante ipsam sepius discurrebant. Peregrini quoque repatriabant nec remanserunt homines multum divites vel potentes.

Während die erste Redaction des Paulinus über alles dies wieder gar nichts berichtet, wird in der zweiten wenigstens (Cod. Marc. fol. 80^b) in der Rubrik 'Reges Ierusalem' Folgendes erzählt: — — transiens vero (sc. Iohannes Brenensis comes) usque ad 300 milites secum duxit. Post coronacionem semel perrexit ad casale vulgariter dictum Ivsse et eum cum pluribus aliis depredatur et copiosam predam reportavit animalium hominumque. Videntes autem Turchi venisse longe quam putabant inferioris potentie, inter cetera christianis molesta firmaverunt castrum in monte Tabor, ut Ptholomaidam amplius molestarent, unde quasi obsessi extunc in civitate manebant. Peregrini quoque repatriabant nec remanserunt homines multum divites vel potentes. In der Rubrik 'Soldani Damasi et Egypti' ferner: Corradinus filius, soldanus Damasci. Hic vivente patre ante Ptholomaydam venit bis; secunda vice